

di Bibliorū quoad vetus Testamentum, vsus, sed
 • viris tantū doctis & piis, idque iudicio Episcopi,
 & expunctis locis suspectis ex annotationibus
 si quas habent: Et hoc per Facultatem aliquam
 Theologicam, aut Inquisitionem generalem;
 prout in Bibliis Roberti Stephani, quæ Vatablea
 nominant, fecerunt Theologi Salmanticenses,
 & Illustrissimus Archiepiscopus Toletanus Gas-
 par Quiroga in Indice expurgatorio, qui editus
 est Madriti Anno Christi 1584. Quare hunc in
 modum Biblia Roberti Stephani, seu, vt appel-
 lant, Vatabli; in quibus etiam insunt Biblia seu
 versio Tigurina; conceduntur, vtrum autem Bi-
 blia Tigurina seorsim & extra Roberti Editionē,
 alicubi correctā & expurgata fuerint, incōper-
 tum habeo. Hoc mihi liquet; nullū fore Catho-
 licū correctorē, qui nō vel ante omnia inde eie-
 cturus sit præfationem, in qua de interpretibus,
 deque interpretationis consilio agitur. Nec ego
 vidi in hæc Biblia censuram Archiepiscopi Hi-
 spalensis, quā auctor *Clypei* citat: nec formā, nec
 ordinē legendi illa Biblia ab eodem præfule præ-
 scripta; vt dicit Auctor. Suspicio tamen, si Tigu-
 rinorum Bibliorum versoires tam noti essent ex-
 teris,

teris,